



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

IV. Admiratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

quod dixisti : Regnum Dei intra vos esse
adveniat hoc regnum tuum & semper in
me vigeat. Assistite mihi descendentes ex
aula regia cœlestes aulici, Throni & Do-
minationes, Cherubini & Seraphini, ce-
teri que Spiritus Angelici : ad Regem no-
strum dignè excipiendum ac tractandum
me adjuvate, tepiditatem meam excurite,
atque ad amandum & laudandum eum
mentem succendite.

IV. *Admiratio.*

SI Regina Saba videns sapientiam Salo-
monis, tota admiratione defixa, non
habebat ultra spiritum : quo stupore me
repleri par est, dum admirandam potestatem,
sapientiam & bonitatem tuam, in
hoc Sacramento manifestatam & occultatam
intueor ? O Rex sapientissime, &
plus quam Salomon; licet omnia magna-
lia tua incomprehensibilia summâ admi-
ratione me compleant; præ omnibus ta-
men nimis quam admirabilem reddis
oculis mentis meæ tanta sublimitas & tan-
ta humilitas; tanta majestas & tanta chari-
tas erga nos mortales, quâ magnitudinem
tuam infinitam in Sacramento abscondis.

immo

immensitatem quodammodo coarctas, & sublimitatem deprimis, ut nobiscum amore uniaris: O verè stupenda charitas! ô humilitas profunda nimis!

V. *Humiliatio.*

Quis enim ego sum ô Rex æternitatis! Aut quæ est domus Patris mei, ut immensa Majestas tua ad me veniat? quid sum nisi vile mancipium tuum, umbra, fœnum, bulla, vitrum fragile? hinc ineffabilem excellentiam tuam & vilitatem meam perpendens totus confundor. Non sum ego servus bonus & fidelis qualis erat Petrus Apostolus, ceterique devoti famuli tui, sed sum servus piger & ignavus; & ille tamen te à se exire jubet, eò quòd peccator sum: an non potiori jure ego dixerim: Exi à me Domine, quia peccator sum & peccatorum antesignanus? sed cum à me recedere nolis, imò mortem mineris, nisi te manducavero, quid faciam, nisi ut ex animo te rogem: Mane nobiscum, Domine, quoniam ad vesperascit, & nox vitiorum ingruit. Mane nobiscum per gratiam specialem, per singularem assistentiam & protectionem, atq; conjunctionem amoris:

ris: